





G. 22. num. 49. 233.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE

1771 3

**P R I V I L E G I I S**  
**CIRCA COMMERCIA**

P. 47.

3

QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E

**IOANNE TOBIA CARRACH ICTO**

POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS  
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE ET SENIORE  
PROFESSORE IVRIS PRIMARIO  
FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDE ORDINARIO  
ET H. T. DECANO ETC.

PRO  
IMPETRANDIS SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
D. XXIX. IVNII CIOLOGLXXI.

H. L. Q. G.  
PLACIDO ERVDITORVM DISQVISITIONI


SVBMITTIT  
A V C T O R  
**CHRISTIANVS LVDOVICVS WILLEBRAND**  
LVRECENSIS.

H A L A E  
LITTERIS CVRTIANIS.



DISERTATIONE ANNAE WILHELMINAE  
DE  
P R I V I L E G I I S  
CIRCA COMMERCIA  
IN REGIA PRUSIANA  
EX DECRETO ILLUSTRISSEI ORDINIS  
P R A E S I D I  
IOHANNIS TOBIAE CARBACH IUSTO  
HONORIS DOCTORUM REGIAE PRUSIANAE DISCRETORUM ET SENATORUM  
ACADEMIAE REGIAE PRUSIANAE DISCRETORUM ET SENATORUM  
PROFESSORIS IURIS NATURALIS  
HABUILLAE REGIAE PRUSIANAE UNIVERSITATIS  
ET H. E. C. A. N. D. E. L. I. I.  
IMPETRANDIS SVMMIS IN VITAE HONORIBUS  
D. XXII. IAN. MDCCCXXII.  
W. L. D. P.  
PLACIDUS ENVIDTORVM DIGNITATI  
AVCTOR  
CHRISTIANVS LYDOWICVS WILFRIEDVS  
LVSCHNITZ  
H A L L E  
LITTEBIS CVBICANIS

177





DE  
P R I V I L E G I I S.  
CIRCA COMMERCIA.

§. I.

**I**nter varia, quae de privilegiis in genere tractari consueverunt, ex illis, quae definitionem ac diuisionem respiciunt, ea tantum seligere nobis licebit, quae instituto nostro quomodocunque inferuire possunt. Privilegii enim vocabulum, vnde descendat, quid sit, et quomodo diuidatur, variis Ictis prolixè fuit tractatum. Iam tyronibus Iurisprudentiae haud ignotum est, privilegium Ius esse a superiore magistratu circa res licitas fauoris et vtilitatis gratia contra ius commune concessum, privilegiaque diuidi in realia et personalia, quatenus vel intuitu rei vel intuitu personae concessa sunt, tum in odiosa et fauorabilia, in onerosa et gratuita siue gratiosa et fic

A por-

porro; quae omnia satis et copiosius exponunt Perillustr. Gebaueri, Strauchii aliorumque de privilegiis scripta. Eo facilius igitur veniam nobis datam iri speramus, si in hisce generalioribus inquirendis non diutius immoremur, sed potius, beneuolum lectorem ad allegata scripta remittentes, statim ad illa, de quibus hic potissimum tractabimus, progrediamur, ad privilegia nimirum commercialia inter gentes liberas, seu ad privilegia inter societates vel status circa commutationem mercium siue operarum venalium concessa, quorum nonnulla naturam pacti habere videntur.

## §. II.

Omnium gentium obligatio, ad pacta foederaque, inter se constituta, quam sanctissime seruanda, et iure naturali et iure gentium tamquam fundamentum salutis societatis consideratur. Qui enim hanc tollit, ille *potentiam physicam* loco illius vt substituat, necesse est: iam vero nullo modo ex ea ius in alios deduci potest, nec etiam in se satis tuta est. Licet enim status potentior imbecillioris, cui iniuriam attulit, vindictam non statim vereri debeat: illegitima tamen pactorum violatio salutis eius semper est periculosa. Confines enim, qui aut singuli, aut coniunctim viribus plus pollent, iniquitate sua irritat, vt eodem modo, data occasione, contra violatorem agant, qui exinde, aduersa fortuna, siue opibus imminutis, easdem inimicitias a laeso vel ab aliis metuere debet.

## §. III.

Quod diximus de pactis in genere, idem valet de privilegiis a statu statui concessis. Sunt enim privilegia commercialia,

eo sensu, quo hic veniunt, nihil aliud, quam pacta ea ex ratione iniuncta, ut immunitas quaedam alteri paciscentium tribuatur. Quem igitur qui in iure adquisito turbat, vel, quominus exercere possit, prohibet, pactum violat, quod iuri naturali et gentium omnino aduersatur.

## §. IV.

Aliquando tamen haec obligatio ad pacta seruanda vel limitatur, vel plane cessat: et cum eadem priuilegiorum ac pactorum (§. III.) sit ratio, etiam obligationem, ad priuilegia alicui concessa illi seruanda, subinde tamen sine laesione illius limitari vel tolli posse, luculenter apparet.

## §. V.

Pertractabimus hac in dissertatione naturam et indolem eorum tantum, quae circa commercia data sunt, priuilegiorum ac immunitatum, siue pacta gentium ea ex ratione inter illas iniuncta, ut altera, immunitatibus, beneficiis, praemiisque ab altera sibi stipularis excitata, inopiam alterius, mercium quarundam subuectu et apportatione subleuare, eiusque commodis et meliorationi inferuire studeat.

## §. VI.

Dantur vero statui a statu priuilegia circa commercia vel sub conditione vel sine conditione, quae differentia hic probe consideranda mihi esse videtur.

Quod si statui sub quibusdam conditionibus quaedam concessa sunt priuilegia; consideranda porissimum illius, quod pars priuilegiata

giata promisit, natura. Illa autem vel ita comparata est, ut conditio statim vno actu impleta sit, vel ut priuilegiatus in praestanda re promissa eousque perseverare tenetur, dum priuilegio suo uti velit.

Priuilegium pro pecunia numerata quasi emtum ad illam speciem, priuilegium vero annuo censu tamquam renouatum ad hanc referendum esse existimo.

Priori casu, si conditio impleri vel praestatio absolui vno actu potest, tunc statim, impleta conditione, praestans ius sibi acquirit, libertate sua utendi, seu promittentem cogendi, ut ea, quae promisit, seruet, alter vero, ad libertatem promissam alteri concedendam quam perfectissime obligatur.

Sin alter in re praestanda eousque perseverare tenetur, quo usque priuilegio suo uti vult, etiam obligatio alterius ad illud tantum tempus extenditur, quo priuilegiatus in praestatione perseverat, quo elapso, statim obligatio cessat, neque alteri competit ius, plus petendi, nisi priuilegio noua praestatione renouato.

#### §. VII.

Violatio pactorum, ubi altera pars conditiones, sub quibus inita sunt statim vno actu impleuit, si nimirum omnia, quae, ut immunitatem sibi adquireret, promisit, quam sanctissime praestitit, caeteris paribus probabiliter defendi nequit.

#### §. VIII.

Priuilegia, quae vocamus, gratiosa, sine omni conditione alteri concessa, propter precarii indolem tamquam beneficia consideran-



fideranda sunt, et concedenti, ab accipiente nulla praestatione obligato, ea privilegia tollere, si ipsi videatur, licet ac si quidem officiis humanitatis desit, violationis tamen pacti et laesionis argui ab altero nullo iure potest.

## §. IX.

Priuegia gratiosa, h. e. sine vlla remuneratione concessa, ex sola animi concedentis in alterum accipientem propensione fluunt; atqui beneuolentia hominis erga hominem variis modis minui potest. Vel enim, cui concessum fuit priuegium, eo abutitur, vel qui concessit, aut de beneuola in alterum sententia discedit, aut magnum ex hac concessione euenire sibi incommodum animaduertit, aut magnos ex abolitione priuegii fructus percipere potest, qui statum suum suorumque meliorem reddunt. Quarum causarum quaelibet sufficiens est, vt priuegia concessa tolli sine iniquitate possint.

Honestius tamen maiorique gloriae illi est, si quae semel concessit priuegia alteri quam sanctissime seruat; Tollendo enim temere priuegia proprio motu concessa, partis laedentis fides atque auctoritas perit, et ad illum hand inepte adplicari potest egregium illud Philosophi regii „ils ne dupent le monde qu'une fois, ce qui leur fait perdre la confiance de tous les Princes.“\*)

\*) Vid. Antimachiavel, ou Examen du Prince de Machiavel. Chap. XVIII. p. 241. 42. Edit. Hag. Comit. c1o 1o cccXLIII.

## §. X.

Alia vero ratio est priuegiorum, quorum vsus, per vim pacti, statim, absistente altero a praestando promisso, finitur. Tunc cessat

cessat etiam illa, qua concedens priuilegium adstrictus erat, obligatio, quia priuilegiatus non amplius praestat, quod debuit, neque dominus, si eum immunitate, qua adhuc usus est, priuat, violationis pacti siue laesionis alterius accusari potest.

## §. XI.

Priuilegia porro, de quibus hic differuimus, conceduntur vel circa res singulorum, vel circa res, quae ad ciuitatem totam omnesque eius ciues pertinent. Si illud, aut priuilegium ex voluntate concedentis soli cuidam personae inhaeret, aut huic succedentibus simul.

In priuilegiis circa res singulorum concessis, statim extincta persona seu familia, cui immunitas data erat, cessat etiam ius, exercitium libertatis postulandi, et obligatio alterius, illud ei concedendi. Cessante enim causa siue obiecto priuilegii, eius etiam cessant effectus; nam finis obtineri amplius nequit.

Priuilegia vero vniuersae ciuitati concessa non cessant, nisi extincta vniuersa ciuitate.

## §. XII.

Iura ciuitatis, salutis eius curam rerumque administrationem deferri personae cuidam quam saepissime solere nemo ignorat. Quae persona tamquam ciuitas ipsa consideratur, eiusque iura, eorumque usus, liberumque exercitium illi competunt. Competit ergo illi etiam ius ineundi pacta foederaque cum aliis ciuitatibus, nec non ius, priuilegia illis concedendi eaque tollendi pro arbitrio suo, quatenus salus publica id exigit; et natura pacti permittit.

## §. XIII.

## §. XIII.

Omnia quae princeps, qua princeps, agit, eo animo agere debet, ut salus reipublicae ac felicitas civium inde enascantur, securitas publica conferuetur, et conditio civium melior reddatur, aut saltem non deterioretur.

Hic quidem egregiarum, quae principibus praeter caeteros homines concessae sunt, praerogatiuarum finis est praestantissimus. Hoc principium, ut normam omnium actionum ac negotiorum suorum, et quasi amissim considerare princeps debet, ad quam omnes actiones exigit, comparet, et an respondeant, excutiat.

Quo melius hanc normam servauit, eo dignior cultu et amore subditorum est, et imperii eius gloriosissimi memoria in ultimam transibit posteritatem.

## §. XIV.

Hac ratione pacta etiam a principe inita diiudicantur. Ergo, qui salutem subditorum augeri et conferuare studet, princeps, numquam transigit, nisi de re, quae vel statim communi saluti maxime prodest, vel futurum commodum summa cum probabilitate promittit, vel quae saltem rei publicae non nocet. Omnia pacta, cuiuscunque generis sint, quorum obiectum et finis salus rei publicae non est, ei saepe perniciofa sunt, eiusque interitum ferius ocus comparant.

## §. XV.

Adparet ex iis, quae supra diximus, principem non semper obligatum esse, ad pacta omnia seruanda, saepius enim cessat  
sua

sua natura haec obligatio, immo non numquam, a pacto recedere, princeps tenerur. Cognitio humana valde limitata est, neque omnes negotii cuiusdam effectus statim primo adspectu oculis nostris se offerunt. Princeps et sapientissimus, spe splendida inductus, ad ineundum pactum, quo, salutem ciuitatis produci et perfici posse, credit, persuaderetur quam facillime. Sed spes eum fallit, idemque pactum in effectu, tamquam perniciosum subditis cognoscit.

## §. XVI.

Omnium, quae princeps conficit pactorum fundamentum est societatis, quam regit, praesens et interior natura atque conditio, qua mutata, expirat etiam pactum eiusque ad societatem relatio. Princeps, qui populum diligit, omnia, quae salutem eius perturbant, tollere atque remouere studet, quae quidem obligatio grauissima principem ab obligatione leuiori, pro ratione temporum ac circumstantiarum liberare non numquam potest.

## §. XVII.

Omnium priuilegiorum commercialium, a principe societati seu ciuitati cuidam concessorum, causa ac finis primarius, salus reipublicae esse debet. Princeps igitur, qui populum diligit, haud facile priuilegia concedit commercialia, nisi, quae salutem ciuitatis ac subditorum producere posse, vel saltem illis non nocere, sibi persuadet. Quae si contrarios producant effectus, vel si statum ciuitatis ac subditorum deteriores reddunt, statim tamquam saluti reipublicae perniciosae tolli, sine iniquitate possunt.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Ob eandem rationem privilegia commercialia de iisdem tantum rebus concedenda sunt, quae nec internam, nec externam civitatis vel subditorum conditionem deteriore reddunt, nec salutis eius periculum afferunt. Ex eodem principio privilegia circa inuentionem mercium peregrinarum, victuum, aromatum, earumque, quae voluptati inseruiunt, rerum concessa sunt diiudicanda atque determinanda.

## §. XIX.

Pecuniae penuria civitati omnino periculosa est. Status quisque enim, cui diuitiae defunt, aduersa fortuna magno periculo obnoxius est. Deficiunt enim illi opes, ad conciliandos sibi conferuandosque amicos et socios, ad reprimendam vim atque imperum hostium. Quodlibet ergo commercium, quo bona atque diuitiae subditorum in bona et possessionem extraneorum transeunt, vires reipublicae imminuit atque debilitat, quoniam subditos reddit pauperiores. Omnia ideo privilegia circa hoc genus commercii concessa, tolli sine iniquitate possunt.

## §. XX.

Huc referendum etiam commercium, quo ciuibus subtrahitur occasio conficiendarum rerum, ad varios vitae status necessarium, e. g. quo inuehuntur merces, quas vel ciues ipsi industria sua parare possunt, vel quarum usus rerum in opificiis patriis manufacturarum distractionem reprimat, vel plane in summum ciuium detrimentum tollit.

## §. XXI.

Omnium rerum, quas, eadem quantitate ac qualitate, rura paterna producant, inuentione, mercium in officinis extraneis

comparatarum adportatio, si, in eadem qualitate ac quantitate, merces in opificiis patriis comparatae, adsint, quarum exactus, illarum iniectione ac venditione reprimitur vel plane tollitur, ex portatio denique mercium nondum apparatusum, ex quarum confectione civis lucrum facere, nec non bona vel saltem alimenta necessaria sibi acquirere possunt, non augent commodum civium, sed potius salutem reipublicae imminuunt. Privilegia ergo circa haec commerciorum genera alicui concessa tolli sine iniquitate possunt, quia saluti civitatis repugnant.

## §. XXII.

Et tunc tolli possunt privilegia commercialia, si, licet ab initio innocua fuerint ac valida, ex postfacto tamen, mutatis circumstantiis, vel mutata civitatis conditione, noxios producant effectus, nec non in periculum quoddam rempublicam conii- ciant; vt, si res seu merx quaedam eo tempore, quo privilegium dabatur, deficiens postea civitati vel industria civium vel casu secundo accefferit.

## §. XXIII.

Pactum quoddam, siue privilegium potuit initio saluti civitatis et subditorum principis inferuire, eo tempore igitur validum ac legitimum fuit, mutatis vero circumstantiis cum utilitate et amittit validitatem.

Obiecerit fortasse quispiam, tempore conditi pacti, eius perennitatem simul promissam a parte concedentis fuisse: sed facile refutari potest ista obiectio. Nulla enim validitate nititur eiusmodi promissio, quae legi supremae civitatis et omnium pactorum fini primario repugnat, seu saluti reipublicae aduersatur.

Non

Non obligat promissio vlla si grauiore promittentis obligatione illa impossibilis euadat: ad salutem vero subditorum augendam, conseruandamque, quemlibet principem quam sanctissime obligatum esse, iam supra demonstrauius, promissio ergo, huic obligationi repugnans nullo modo valida esse potest.

## §. XXIV.

Plures praeterea casus in statu quodam, qui eiusmodi priuilegia commercialia alteri statui concessit contingere possunt, vnde parti concedenti enascatur ius a pactione recedendi.

Quod si is, cui immunitas circa quoddam genus commercii ea sub conditione, vt aliquid parti concedenti praester, fuerit concessa, ad id, quod promissit, praestandum, non satis instructus est, tunc cessare etiam concedentis in eum obligationem, iam supra commemorauimus.

Quod si porro concessae cuiusdam immunitatis ea ratio atque is finis fuerit, vt parti concedenti exinde commodum quoddam enasceretur, si priuilegiatus, quae promissit, praestare, et conditiones, sub quibus priuilegium ipsi fuit concessum, implere amplius nequeat: id quod saepius contingit, in com meatuum merciumque peregrinarum subuectu; tunc parti concedenti semper competit ius perfectum, tollendi ea priuilegia. Pactum enim atque societas, cuius finis obtineri nequit, iure naturali nullam producit obligationem.

## §. XXV.

Eadem ratio est ciuitatis, cuius forma singularis atque conditio causam, cur ei priuilegium concederet, praebuit. Mutata enim hac forma ac conditione alteri competit ius, tollendi priuilegia, ob illam formam ciuitati concessa. Ergo si duo status,  
foede-

foedere inter se coniuncti, alter alteri, tamquam foederato, privilegia quaedam ac immunitates concessit, statim, dissoluta societate, tolli haec privilegia sine iniquitate possunt.

§. XXVI.

Alia legitima, privilegii tollendi, causa est tum laesio parti concedenti a privilegiato illata, tum huius abusus. Privilegiatus enim si concedentem consulto offendit, siue privilegio suo, ad alterum in iure suo turbandum, vel damno addiciendum abutitur: laeso statim contra offensorem competit ius, adimendi illi facultatem laesionis iterandae. Nec hoc ius, tollendi privilegii, adimitur reparatione damni illati, quippe quae laesum non reddit securum a metu futurae laesionis: privilegio autem sublato concedenti cauetur, ne in futurum aliud ipsi contingat damnum, nec privilegiatus laedi se quaeri potest, cum ipse, abutendo privilegio, se indignum reddiderit fiducia concedentis.

§. XXVII.

Ex quibus omnibus facile patet, praeter illos, quos supra commemorauimus, alios adhuc superesse casus, ubi concedenti competit ius, tollendi privilegia circa commercia concessa, quos omnes recensere, si vellem, vereor, ne fines huius dissertationis egrediar. Et facillimum est, ex prioribus principiis, de quocunque casu, quem fingere licet, iudicare. e. g. si privilegiatus in praestatione promissi deficiat, seu vectigalia ac portoria, semel constituta, dare recuset, seu ex societate amica in societatem hostium transeat, seu privilegio in damnum concedentis abutatur: eo et quouis simili casu concedenti competit ius, tollendi, quae concessit privilegiato, neque laesionis accusari a privilegiato potest, quia iure suo utitur.

§. XXVIII.



## §. XXVIII.

Vnus tamen casus superest, in quo, si privilegium tollatur, is, cui concessum erat, alterum laesionis accusare optime iure posse, videtur, quod praecipuis saepius contingit in privilegiis ob bene merita vel pro certo pretio alicui concessis. e. g. Si status statui cuidam per opportunus semper et commodus fuit, vel magna illi praestitit auxilia, vel certum pretium pro privilegio soluit, eaque solutio vel praestatio, tamquam conditio, sub qua privilegium concessum sit, eo tempore considerata est.

Ast eo casu oritur laesio non ex privilegii sublatione, sed ex eo, quod turbetur alter in exercitio iuris, modo oneroso sibi adquisiti. Qui ergo privilegia vel ob bene merita concessa, vel modo oneroso adquisita, tollit, si, ad alterius operam alia ratione remunerandam, vel ad pretium acceptum illi restituendum, libenter se offert, atque adeo, si reuera remuneratur, vel pretium restituit, is omni laesionis culpa vacat.

## §. XXIX.

His delibato quidem argumento, sed non exhausto, in praesenti subsistam. Puto enim, neminem a me, qui in hoc scientiae genere non ita versatus sum, ut viris doctis omnimodo satisfacere possim, disputationem omnibus partibus absolutam expectaturum esse. Plura autem, quae in hac materia supersunt, doctius et copiosius exposuit *Strykius in Dissertatione de privilegiis titulo oneroso quaesitis*, ad quam lectorem benevolam, ad supplendos huius Dissertationis defectus, remitto, et hanc meam qualemcunque operam de meliori commendo, memor illius elegantissimi dicti

*Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius* —

PRÆNOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO  
DOMINO  
C A N D I D A T O  
S. P. D.  
P R A E S E S.

---

---

**B**reuis quidem est dissertatio Tua, quam pro impetrandis aliquando summis in Vtroque Iure Honoribus publice defendendam scripsisti: sufficit tamen ad obtinendum finem propositum. Id enim agitur, ut publice monstres, quam apte opponentium argutias disputando resolvere scias: ad quod prolixiore scripto baud opus est. Imo, si Tibi in praesentiarum vacaret, ampliori quoque tractatui conficiendo Tuam parem esse eruditionem, nullus dubito. Certe in vtroque Candidatorum examine, quod sustinuisti, talem Te inuenit Ordo Ictorum, ut amplius opus a profectibus Tuis sperare liceat. Sed hocce, quod publice propugnatum is, Tuo sitis officio facis: idque integrum prorsus Tibi reddo, quo plenior Tibi sit speciminis Tui defendendi copia. Gratulor caeterum Tibi Honores ab Ordine nostro decretos: quamuis ere Tua esse non putes, ut illos in praesentiarum amplectaris. Gratulor quoque Patri Tuo Excellentissimo, qui triginta fere abhinc annis summis in vtroque Iure honoribus priuilegijsque Doctoralibus ab ordine nostro optime meritis exornatus est, Filium Doctum, qui paterna sedulo pressit vestigia: atque ex animo adprecor, ut vobis in posterum quoque omnia prospere succedant, Vobisque me de meliori commendo. Dab. Halac Magdeb. die XXmo Iunii A. O. R. 1711.

---

---

X2338867





G. 22. num. 49. 222.

Q. D. B. V.

TIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE

**VILEGIIS**  
CA COMMERCIA

1771 3

3

QVAM

REGIA FRIDERICIANA  
TO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE

**TOBIA CARRACH ICTO**

PORVSSORVM REGI A CONSILII INTIMIS  
E FRIDERICIANAE DIRECTORE ET SENIORE  
ROFESSORE IVRIS PRIMARIO  
IS IVRIDICAE PRAESIDE ORDINARIO  
ET H. T. DECANO ETC.

PRO

SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
XXIX. IVNII MDCCCLXXI.

H. L. Q. C.

Q ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT


A V C T O R

**S LVDOVICVS WILLEBRAND**

LVBVCENSIS.

**HALAE**

LITTERIS CVRTIANIS.



B.I.G.

Farbkarte #13